

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Positiones Historico-Philologicæ, Quas Consensu Inclyti
Philosophor. Ordinis Reg. Pomeranor. Academ. Gryphicæ**

Träg^oard, Elias

Gryphiswaldiæ, [MDCCLXXII?]

VD18 13192965

urn:nbn:de:gbv:45:1-15756

Q. D. B. V.

POSITIONES
HISTORICO-PHILOLOGICÆ,

QUAS

CONSENSU INCLYTI PHILOSOPHOR. ORDINIS
REG. POMERANOR. ACADEM. GRYPHICÆ

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO

Mag. ELIA Trägård,

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE REGIO CELEBERRIMO,

DIE XXIV. JULII MDCCLXXII.

IN AUDITORIO MAJORI

HORIS A. M. CONSUETIS

PUBLICO BONORUM EXAMINI MODESTE

SUBJICIT

CLAUDIUS GUST. LUNDMAN,

OSTRO-GOTHUS.

GRYPHISWALDIÆ

LITTERIS A. F. RÖSE

REG. ACAD. TYPOGR.



HISTOR

CONSENSU
REG. PO

Mag.

PHILOSOPHI

IN

PUBLICO

CLAUDI

L I

CÆ,

DINIS


ård,

MO,

AN,

8





Thef. I.

Sine historia sacra gentium mythologiæ & tota historia profana antiquior nullam habet lucem, genuinam quippe rerum originem ignorat & faniori chronologia destituitur. Illa igitur omnis historiæ fundamentum merito habetur.

Primas totius universi origines historici, quos habemus, omnes profani vel alto prætereunt silentio, vel in opiniones incidunt aliam haud prodentes sapientiam, quam atheismum eumque crassissimum: De aeternitate, puta, mundi, ortu ejus per casum fortuitum & somnia his similia. Quam miras de hominum reliquorumque animalium prima progeneratione narrationes credere videtur DIODORUS SICULUS (a) & ante illum plurimi alii! Illos nimirum pariter ac hæc primum in Ægypto, limo calore solis tepesfacto, e terra esse prognatos. Hocque eo, quod cum muribus in ista regione ejus etiam tempore fiebat, confirmari autumat. E theogoniis aliisque gentium fabulis sanum de hisce sensum nemo collegerit. HESIODUS (b) ultimæ antiquitatis auctor, quem in plurimis sequuntur reliqui omnes, de primis temporibus ac deorum suorum ortu tam perplexa & mirabilia loquitur, ut meras omni plane sensu carentes nugas proferre videatur, aut sane subtiliter adeo philosophatur, ut nec ipse semet nec illum alii capiant. Alibi deorum hominumque genus simul natum asserit (c). OVIDIUS (d) quæ con-

gessit,

(a) Biblioth. Hist. L. I. circ. init.

(b) In Theogonia.

(c) In Op. & Dies v. 108.

(d) in lib. metamorph.



monio, vel opinionē potius HERODOTI (i) est nitendum, qui olympiade LXXXVII. floruit, non longe post initium olympiadum, seu circa annum mundi ter millesimum & centesimum hic Poëtarum Princeps floruisse censendus est. Etenim ille: *quos (Homerum & Hesiodum), inquit, quadringentis non amplius annis ante me opinor existisse.* Alii initium Olympiadum aetate illum longe antevertere existimant. Vid. FABRICIUS (k). Ut adeo saltem in tempora Josaphati & Jorami Regum Judæ, seu plus quam nongentos ante aeram Christianam annos ævum ejus incideret. Nec minus probabilis nonnullis videtur opinio, elapsis post bellum Trojanum centum & sexaginta, & sic mille ante Christum natum, annis, regnante in Judæa Salomone, hunc poëtam vixisse. Alii eandem ei tribuunt aetatem, quamvis, quod mireris, de ipsa Homeri persona, qua gentem, nativitatem, patriam reliquasque res circumstantes de illo narratas dubitent. Memini nim. me legere, sub hoc nomine ipsum sapientissimum Judæorum Regem Salomonem occultari nonneminem existimasse. Scilicet, veritatem tam profunde latentem inveniendi occasionem ipsum viri præbuit nomen litteris ordine retrogrado lectis, exigua tantum admissa anomalia mutatione litteræ L. in R. Vocales non curant recentiores critici, vel si in censum venient, facilis est resolutio, illarum nimirum facta est transpositio. Justo majori sapientiæ Homericæ admirationi istæ argutiæ originem debere videntur. Et quidem negari nequit, multa illum ex Mose depromsisse, ut contendit præter alios HUETIUS (l). Quin & comparisonem Homeri cum scriptoribus sacris, quo ad normam loquendi, in libro non exiguæ molis instituit ZACH. BOGAN (m). His vero missis, quamcunque aliam de ævo Poëtæ amplecti volumus sententiam, longe ante Romam conditam vixit; Quod testatur etiam CICERO (n), nec non VELLEJUS PATERCULUS (o) sæculi primi post N. C. scriptor, quamvis hic juniorem eum crediderit, quam quidam ejus tempore existimabant: *Homerus inquit, longius a temporibus belli, quod composuit Troici, quam quidam rentur, abfuit,*

(i) in Euterpe.

(k) Biblioth. Græc. L. II. C. 1.

(l) Demonstr. Ev. Prop. IV. C. II.

(m) Homer. Εἰσαίρεσις.

(n) Tuscul. Qu. L. I.

(o) Hist. Rom. L. I. C. V.



abfuit. Nam ferme ante annos nongentos & quinquaginta floruit, intra mille natus est. Et sic tamen Roma plus quam centum annos habendus est antiquior. His vero non obstantibus, novitatem Homeri, non adeo pridem demonstrare voluit peculiari tractatione COSTARDUS (p) aevum ejus ad annum ante aeram Christianam quingentissimum & quinquagesimum circiter retrahens, seu paulo ante Pisistratum, qui carmina illius, cum monarchiæ saveant, tantopere laudavit. Argumenta laudati Auctoris observationibus astromicis superstructa ponderare longioris, quam mihi propositum est, scripti elaborationem postulare. Sufficiat igitur hoc loco pro communi opinione de summa Poëtae antiquitate stabilienda argumentum petere ex verbis HERODOTI (q) adeo antiqui auctoris: *Hesiodus atque Homerus fuerunt, qui Græcis theogoniam introduxerunt eisque & cognomina & honores, & diversa artificia & figuras attribuerunt. Quibus & posteriores videntur existisse hi Poëtae, qui fuisse priores feruntur.* Eandem quoque ante illam sententiam fovisse videtur *Pythagoras*, qui paulo ante vel post solutam captivitatem Babylonicam floruit. Etenim hic, dicente AUGUSTINO, in *libr. de Civit. Dei*, mihi cit. a PHIL. MORNÆO (r) judicavit, animas illorum ab arbore suspendas diris e serpentum moribus affici cruciatibus, ideo quod falsos & adeo profanos commenti fuerint deos. Quibus sua si stat veritas, frustra de amborum, imprimisque Homeri, summa antiquitate, quippe ipsam Græcorum mythologiam aetate superantium, dubitatur. Hanc enim paulo tantum ante Pisistratum fuisse introductam nemo contenderit.

* Thef. III.

Inventum numos cudendi aevo Abrahami Patriarchæ antiquius esse ex dictis Gen. XXIII. 16. probabilis conclusio formatur.

Antiquissimis temporibus permutatione rerum emptiones atque venditiones factas fuisse non est quod moneam. Dein ponderata metalla, imprimis nobiliora, quorum publica & perpetua est aestimatio, ut mensuram mercium communem ab hominibus fuisse receptam itidem nemo ignorat. His denique inter nationes politiores moneta ex metallis ejusmodi cusa & signata successit, cujus usu

* 3

ponde-

(p) Philosophic. Transact. Vol. XLVIII. P. II.

(q) l. supr. cit.

(r) De Verit. Relig. Christ. C. XXII.






ponderandi & librandi sublata est molestia. Meum hic nequaquam est definire, quisnam monetæ cudendæ rationem primus invenerit, vel quas inter nationes mos ille primum invaluerit. De antiquitate tantum numorum, seu frustulorum nobilioris cujusdam metalli, quatenus certo suo pondere dimensi impressoque signo valorem cujusvis numi indicante instructi fuerint, nulla figuræ, vel affabrefacti operis, quod seriõribus ævis in illis conspici cœpit, habita ratione, hic mihi est agendum. Lydis hujus inventi gloriam tribuit historicorum pater HERODOTUS (s). Satis tamen prudenter hac de re loquitur; *Hi primi, inquit, eorum, quos novimus, numum aureum & argenteum ad utendum percusserunt.* At dudum temporibus Abrahami hunc usum invaluisse rite, quantum video, concludi potest, imprimis ex verbis loci in thes. allati ultimis **כסף כחול** *commeans*, ut vertit TREMELLIUS, *ad mercatorem quemvis.* LUTHERUS: *Das im Kauf geng und gebe war.* Quæ locutio, valde nisi fallor, admodum hic esset inutilis & superflua de rudi tantum argenti materia sermo si esset. Etenim argentum secundum pretium eminens & internum, seu naturale, apud omnes istas nationes, quæ tunc dudum metallum illud ut mensuram communem mercium adoptaverant, sine ullo discrimine commeavit in mercatura. Hic vero loquitur Moses de **כסף חסד** *Siclo argenti* inter filios Chet, aliosque istius loci incolas in mercatura valente. Unde pretium quoddam civile innui est judicandum, & opponi procul dubio siclis aliarum nationum, ejusve, e qua erat hospes Abrahamus. Si igitur hisce siclis argenti præter pretium naturale fuit quoque pretium a certis civitatibus impositum, adfuit etiam moneta eo sensu, quo vocem istam hoc loco sumi volo. Objectiones quæ contra hanc opinionem ex verbo **כסף** *ponderavit* petuntur, eam ad evertendam parum valere existimo. Si namque vel mordicus haud negarem, ponderatum fuisse ab Abrahamo pretium agri Ephronis, illud non impedit, quo minus esse potuerit moneta cussa, quemadmodum etiamnum sæpe moneta signata ponderatur. Et præterea admodum est probabile, verbum **כסף** etiam apud Hebræos usurpatum fuisse pro *solvere*, retenta nim. antiqui usus ponderandi voce ad rem juniorem indicandam, quippe quod in omnibus linguis non raro usu venit. Sic Latinos *pendere pecuniam, magnum*

(s) in Clio. C. 18.





runt. Illas apud Thebas Boeotias in Ismenii Apollinis templo in tripodibus quibusdam incisas se vidisse narrat.

Theſis V.

Quin imo, ipſam quoque linguam Cananæam, ſeu Phœniciam, quæ eadem antiquitus fuit Punica, cum ſermone Hebræo habuiſſe cognationem, vetuſtiſſima; quæ etiamnum exſtant, monumenta, quamvis pauca, commonſtrant.

Abrahamum cum familia ſua in Cananæa habitantem incolarum linguam hoſque illius probe intellexiſſe, ut commode inter ſe invicem ſermones miſcere potuerint, nullam plane dubitandi anſam hiſtoria biblica Gen. XII. & ſeqq. præbet. Poſt multorum annorum decurſum, cum illuc ex Ægypto reverterentur Iſraelitæ, nondum utraque lingua adeo ſibi facta erat diſſimilis, interpretibus ambas inter nationes ut opus fuerit; Legimus namque cum ſpeculatoribus a Joſua emiſſis homines regionis loqui potuiſſe, ex. gr. Rachab. Joſ. II. 9. & ſeqq. & alios quoque, etiam e plebe, homines idem feciſſe, quis negaret? Nomina propria tum locorum terræ Canaan, tum perſonarum pure ſunt Hebræa pleraque ex. gr. *Gibeon*, *Hebron*, *Gilead*, *Adonizedech*, *Debir*, *Jabin* & plura in libro Joſuæ paſſim obvenientia, certo ſatis indicio, etiam tunc temporis Iſraelitarum inter & Cananæorum dialectum parum interceſſiſſe diſcriminis. Dum porro Cananæorum, ſpeciatiim Tyrorum, propago, vel colonia fuerunt Pœni ſeu Carthaginenſes, hi illorum linguam locuti fuerint neceſſe eſt. Quæ quidem longiori temporis tractu magis magisque, ut omnes ſolent linguæ vivæ, a matre declinavit, donec tandem poſt mille circiter annos in eam, quam apud PLAUTUM (x) legimus linguam, degeneravit. Quin & iſta lacinia, in primo præcipue verſu, hebraiſmi prodiſt veſtigia, quamvis obſcuriora. Id quod nequaquam mirum, ſiquidem juſta adeſt ratio, cur ſuſpicemur, dictum auctorem aut non calluiſſe, aut magnam adeo in punice ſcribendis haud adhibuiſſe accuratorem; vel etiam pleraſque voces iſtas, etiamſi latinam addiderit verſionem, ipſummet finxiſſe. Quales ſtrophæ a comicorum facetiis non abhorrere cenſendæ ſunt.

(x) in Poenulo Act. V. Scen. I.

